

minum, ut, quia agnoscit divinam majestatem hac sessione significari, hanc eandem sessionem ad Christum, ut Filium Patris, ut Deum, referat, quia divinam humanæ naturæ majestatem tribuere reformidat, cum tamen Scriptura, & Symbolum, vel Cornelio iudice, sessionem hanc referat ad Christum hominem. 4. Simpli-
4
citatem istam, quæ omnem rem expedit, omnemque difficultatem tollit, quia Cornelius deserit, variis, iisque cumulatis, explicationibus se ipse turbat impeditque. Id quod patefiet ex iis, quæ sequuntur.

§. 8. Tertio ergo, ita pergit Cornelius, *Christus ut homo sedet ut homo, ad Dextram Dei metaphorice*, Primo, per communicationem Idioma-
 tum, qua propter unionem hypostaticam omnia attributa, omnis honos & murica-
 prædicatio, quæ tribuitur Verbo, tribuitur & Christo homini: sedet ergo
 Christus homo a dextris Dei, id est, præest omnibus quasi summus Rex ac
 iudex, qui tanta dignitate præcellit, ut in eodem solio cum DEO sit, & tum,
 eadem cum eo adoratione colatur. Ita Patres passim. Itaque ad dextram
 Dei sedit homo Christus in primo instanti Incarnationis suæ: sed post
 ascensionem peculiariter, quia tunc hæc dignitas & divinitas Christi ce-
 lebrari & inclarescere cepit. Secundo, & PROPRISSIME, IPSA hu- ipsa huma-
 manitas Christi sedet a dextris Dei PER SE: HÆC enim HIC & ALI-
 BI dicitur assumpta & constituta a dextris Dei, quia scilicet humanitas se-
 Christi post mortem, victoriam & ascensionem in cælum victrix trium-
 phat & pacifice dominatur in summa Patris gloria. Significat ergo hæc
 Sessio humanæ naturæ Christi, 1. illius excellentiam super omnem excel-
 lentiam creatam. 2. summam ac singularem ejus beatitudinem & glori-
 am, tum intensive, tum extensive, tum in modo illam obtinendi, tanquam
 connaturalem Christo, & ex vi unionis hypostaticæ, ac consequenter ex vi
 propriæ dignitatis & majestatis illi debitam. Unde 3. sequitur, simile ac
 summum dominium & potestas, tam ad operandum, quam ad impe-
 randum omnibus creaturis ad iudicandum de omnibus hominibus.

§. 9. Ita ipse se induit Cornelius, & implicat multis difficul-
 tatibus, unde se, retentis principiis, quæ habet ac tenet, expedire
 nequit. Namque 1. omne id, quod de communicatione Idiomatum, Resp. 11.
 & sessione Christi hominis per communicationem Idiomatum, dixit
 posuitque, ipse prorsus sustulit, evertitque, quando id hic, (in hoc
 dicto Apostolico, Coloss. III, 1.) & alibi (in dictis Apostoli, & scriptu-
 ris